

Quia vero circa curam naturalium mea desudat intentio, necessario describere oportuit naturam bonam a summe^{a)} bono et superoptimo Deo formatam pariter et creatam, sed inobedientie^{b)} malo gustu ligni vetiti deformatam ac depravatam vitiis et corruptam non nisi per mediatoris adventum naturam ipsam in se et per se misericorditer reformatis nec non etiam recreantis posse ad incorruptionem pristinam reparari. Nam nisi ipse causam nostram sine maiestatis sue dampno verus homo factus et solus non habens peccati contagium suscepisset, humana captivitas et dediticia servitus nec liberari posset merito neque solvi. Ut enim homo decenter fieret Deus, Deus est pro homine supernaturaliter factus homo, qui, ut^{c)} perfectam salutem homini demonstraret, quibus operibus olim mundum a se creatum mirabiliter formaverat, disposuerat et ornat, hiisdem modis celitus in se et per se hominem multo mirabilius recreatum reformavit, renovavit et ornavit ac demum longe excellentius consortem et participem glorie sue fecit, ut, sicut vera assumptione hominis factus est Deus homo, ita vera participatione Dei fieret homo Deus.

Non parvo autem tempore illud digessi, tum propter irruptiones, quas cure familiares mihi sepius ingerebant, nam mensurnis^{d)} spatiis et multo pluribus vix versum facere poteram et oblitterata^{e)} materia vix ad eam denuo revertabar memoria hebetante^{f)}, tum propter materiei excellentiam, que relicta est, ut credo, hactenus intemptata. Ha, quotiens me inceptum opus posse perficere desperabam et tam^{g)} immensum pelagus cimba pauperiore tranare sine remige formidabam, et quasi currus regens Yliacos¹⁾, ut fabulose legitur de Fetonte²⁾, freno timoris abiecto audacter temeritate improba vagabundus, ne inscitie^{h)} caumate rerum machinam errore devio demolirer potius quam lustrarem, casu proprio expallebam. Ut enim ignis in stipularum cineribus revivescereⁱ⁾ cernitur et serpit adhuc in cinere iam extinctus, ita et ego modo tabellas libens accipiebam, modo invitis oculis contemplantar, et tedio affectus ponderis magnitudine hebetabam^{k)}, modo resumptis viribus iterum atque iterum quadam inertia torpens aliquid meditabar;

a) a summe] assumme V b) inhobedientie B c) qui ut] quia B
d) mensurnis B e) litterata B f) habetante B g) quiram B
h) verbessert aus insitie V i) verbessert aus revivescere V k) habetabam B

¹⁾ So statt Heliacos. Wie mir Herr Dr. Otto Prinz (München) freundlich mitteilt, ist die auf griechischen Einfluß deutende Form Yliacus im Material des Mittellateinischen Wörterbuchs nicht belegt.

²⁾ Phaëton, Sohn des Helios; vgl. etwa Ovid, Met. I 748—II 400.